

culis non terminalibus, sed axillaribus; 4. in stipulis integerimis longo acumine subulato terminatis.

91.

### LACTUCA WALLROTHII SPR.

*L.* foliis radicalibus runcinatis, caulinis linearibus sagittatis acuminatis carina nudis margine scabris integerimis, calycibus sessilibus.

Habitat ad vias prope Halam: Wallroth.

*Planta* dodrantalis. *Radix* lignosa, fibrosa. *Caulis* plures ex una radice, simplices, adscendentes, teretes, glabri, pallidi. *Folia* radicalia runcinata, glaciaria omnibus acutis; caulinia sessilia, sagittata, linearia, nervo valido albido percurrentia, erecto-patentia, acuminata, integerima, margine scabra, carina nuda, pollicem longa, lineam fere latam. *Calyces* alternatim sessiles, remoti, cylindrici, fusci, squamis imbricatis, obtusiusculi. *Corollulae* lingulatae, flavae, denae fere in quovis calyce. *Pappus* simplex, stipitatus. *Receptaculum* nudum.

*Lactuca* saligna, quae proxima, differt foliis carina aculeatis, radicalibus pinnatifidis.

*L.* segusiana Balb. differt foliis latioribus, lanceolato-linearibus enerviis, et ramis laxis unifloris. Eodem modo et differt *L. tenuerrima* Pourret apud Willd. spec. pl. 3. 1529.

92.

### CREPIS CERNUA TENOR. in lit.

*Cr.* foliis radicalibus obovatis dentatis sublyratis, caulinis anplexicaulibus sagittatis profundo dentatis, calycibus cernuis pendunculisque glabris.

Habitat in Calabria.

*Planta* pedalis. *Radix* simplex, fusiformis, an-